2

Forma creationis notarii per comitem palatinum.

Universis presens privilegium inspecturis A. de .. utriusque iuris doctor fisci domi-
ni nostri pape ac eiusdem sacri consistorii advocatus dei gratia comes palatinus Dilecto
nobis in Christo A. Bertholdi de S. clerico .. dyocesis presentium gaudium et sa-
lutem. Sagax humane nature discretio memorie hominum labilitate pensa-
ne ta ut diuturnitate temporum illa que inter homines aguntur oblivionis defectu
subiacerent tabellionatus adinvenit officium per quod contrahentium vota
scribuntur et scripture ministerio postmodum longe serventur in evum. Cum
itaque in nostri presencia discretus vir A. B. de .. clericus .. dyocesis nobis
humiliter supplicaverit ut sibi notariatus officium concedere dignaremur. Nos ip-
sius vero qui ad huiusmodi tabellionatus officium exercendum sufficiens et ydo-
neus esse repertus in hac parte supplicationibus favorabiliter annuentes et re-
cepto prius ab eodem vice et nomine sancte Romane ecclesie ac sacri Romani imperii
nomine fidelitatis debite nec non de ipso tabellionatus officio fideliter et lega-
liter exercendo corporali iuramento dato vel auctoritate nobis et successoribus nostris a do-
minis imperatoribus super creandis notariis publicis concessa presentis tabellionatus
officium duximus concedendum ac ipsum vel eundem per pennam et calamarium atque
cartam que tunc in manibus nostris tenebamus ac pacis osculum presencialiter
investimus de eodem tribuentes et concedentes eidem vel auctoritate nobis ut pre-
fertur in hac parte concessa plenam licenciam et liberam facultatem instrumenta con-
ficiendi et prothocolla et litteras exemplandi et copiandi et publicandi testamen-
ta seu ultimas voluntates et codicillos cuiuscumque generis conficiendi testes
recipiendi et examinandi et eorum dicta scribendi et publicandi responsiones
et confessiones clausulas litis et questiones et quecumque iudiciorum acta
coram quibuscumque iudicibus ordinariis et extraordinariis delegatis subdele-
gatis et arbitris et aliis quibuscumque scribendi publicandi nec non sententias
iudicum ordinariorum delegatorum subdelegatorum arbitrorum et arbitratorum
audiendi ordinandi et in publicam formam redigendi super appellationibus et provocationibus
eorum quibuscumque iudicibus et a quibuscumque tam in iudicio quam extra interpositis
instrumenta publica ordinandi et conficiendi tutores et curatores dandi et de-
cretum interponendi pupillis et orphanis alimenta decernendi Actus non e-
mancipare manumittere et adoptare volentibus auctoritatem prestandi dictumque
tabellionatus officium aut notariatus officium ubilibet terrarum perfecte et li-
bere exercendi Et omnia alia et singula faciendi que ad predictum officium spec-
tare noscuntur seu eciam pertinere Ita quod ad eum tamquam ad notarium publicum sub-
a ordinariis et personis cunctis publice recurratur et instrumentis publicis per
eum confectis stetur totaliter et credatur In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium
ac certitudinem pleniorem presens privilegium sive publicum instrumentum per Jo. notarium
publicum infrascriptum subscribi et publicari mandavimus nostrique sigilli fecimus appensione
muniri Datum et actum Rome in domo habitationis nostre sub anno etc. indictione die mensis etc.

482

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA

© Biblioteca Apostolica Vaticana

http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_685/0011

MANFRED
LAUTENSCHLÄGER
STIFTUNG